

plici sint differentia, ita ut quædam præter rem quam significat immediatè, possint etiam significare alias, aliquæ verò non; illæque sint communes, ut quæ de multis possint affirmari, hæc verò singulares: duplex etiam oritur suppositio, quarum illa dicitur communis, hæc discreta sive singularis. Communis verò vel simplex est vel personalis.

19. *Simplex suppositio* juxta cōmunem sententiam, est *acceptio vocis pro immediato suo significato tantum*, h. e. pro ipso conceptu communi illò vocabulò significato: non verò pro illo, quod per consequentiam demum sive per descensum infertur, quòdque mediatum vocari solet, & sunt inferiora vel denominata illius vocabuli: ut, homo est species, animal est genus. Et in hac suppositione nullus datur descensus ad inferiora, nec ascensus ad superiora, ut adeò rectè valeat hoc Fonseca documentum: Nullum nomen commune notatum signò aliquò accipitur simpliciter: omne enim singnum sive universale sit, sive particulare, sive singulare, communi termino appositum inferiora ejus importat.

20. Unde falsa hæc est propositio: *Omnis homo est species*. Cujus rei ratio etiam si potissimùm ex doctrina de universali dependeat, & sic ab hoc loco paulò sit remotior; attamen ex hoc etiam perspicui potest, quòd sub propositionum singularium terminis singularibus, quatenus singulares, nullus possit dari descensus ad inferiora, ut quæ nulla dantur, atque proinde nullus etiam ab iisdem ascensus. At propositiones de subjectis simpliciter suppositis sunt singulares, neque ex eo indefinitarum censu censerì debent, quia nullum signum præfixum habeant. Omnis enim indefinita vera additò signò particulari manet vera: at hæc vera, homo est species, additò signò particulari fit falsa: falsum enim est, aliquem hominem esse speciem, cùm omnis homo sit singulare quid. E. non erit indefinita.

21. *Dicis*: quì singularis potest esse illa propositio, quæ tamen est de subjecto universali? Resp. attamen non est de subjecto universali universaliter sumpto: h. e. licèt homo sit universale in genere rerum, non tamen est universale in genere.